

D. O. M. A.

Brevis Exercitatio Theologica,

De

VULNERIBUS
CHRISTI,

Quam

Censente & approbante maxime
reverenda Facultate Theologica, in regia
Aboënsi Academia,

PRÆSIDE

IOHANNES GEZELIO, J. F.

S. Th. D. & Professore Ordinario.
Acad. p. t. Rectore magnifico.

Publicæ disquisitioni

exhibet

IOHANNES LAIBECK.

O - Bothn.

Ad d. xvii. Maij. A. O. R. MDCXXXI. 1681.

in auditorio superiori.

АВОЛ, exc. à J. waldio, A. T.

VIRIS

Plurimum Reverendis, Reverendis, Clarissimo & Doctissimis,

DN. ELIÆ HOLMIO
Præposito, & Pastori in Nerpis merito-
ritissimo.

DN. M. O L A O B R U N N
Pastori Wafensium, longe dignis-
simo.

DN. CHRISTIANO MATHIA
Pastori in Laihela, bene merito; pa-
renti charissimo.


DN. ANDREÆ JANZ
Pastori in Ulastaro / multum lau-
dando.

DN. ISRAELI ALFTANO
Pastori in StoorKyro, vigilantis-
simo.

*Dominis, Fautoribus, Parentibus
& Promotoribus, multis nominibus
honorandis, colendis*

SALUTEM ET QUÆVIS PROSPER

*Pl. Reverendi Domini, tuq; Parens
charissime*

onsideratione dignum
est: *Nullam in capaci hoc
mundo reperiri creaturam,
otiosam & à laboribus planè liberam.*
Sic quippe placuit opifici hujus
universi, ut nemini corpus, & cum
corpore vitam daret, quin eo ipso
momento, aptam & utilem ean-
dem redderet, ad certa obeunda
munia. Quicquid animalium in
orbe movetur, in aquis nutri-
tur, per saltus discurrit, in tel-
lure repit, in aère vivit, id o-
mne laboribus exerceri & o-
tia fugere, naturæ voluit parens.

Hinc varias conspicimus abjectissimo-
rum animalculorum, mirabiles & nulla
humani ingenii vi, penetrabiles dotes
& actiones. Hinc audiuntur volatilium
vilissimorum, ijs quoque temporibus,
cum nostrum plerique alto oppressi ja-
cemus somno, diligentissimi tenores,
& dulcisoni concentus. Hinc omnes no-
stri testantur, sensus: totam naturam
sua vi quadam harmonia, amare motum
& abhorrere à vana quiete. Non igi-
tur mirum, si homo quoq;, ejus gratia
hæc omnia condita sunt, molestiis ob-
noxius sit. utpote quem sacra pagina
docet: *natum esse ad laborem; tanquam
avem ad volandum.* Quemadmodum
itaque avicularum omnium varia cer-
nimus exercitia; pari ratione homi-
num, alij alijs student artibus: Pauci
rebus divinis & spiritualibus delectan-
tur; plures terrenis aggravati & invo-
luti sunt somniis. Alij in gregem
Christi operam collocant, ejus saluti
invigilant, & multos insomnes consu-
munt

munt noctes; quidam humanas amant
litteras, huic sapientiæ student, hanc pru-
dentiam quærunt, & in evolvendis se-
culorū libris, omnes exhauriunt vires;
multi castra sequuntur, in acie tonant,
sanguinē fundunt, arces expugnant, ur-
bes evertunt, & totas non raro regio-
nes, ferro & incendiis infestant; sunt qui
justitiam administrant, lites dirimunt,
concordiam tuentur, discordias com-
ponunt, & judicis supremi in terris
munere funguntur; dantur qui glo-
riam civitatis communiunt, turres eri-
gunt, palatia struunt, & ædium celebri-
tate laudem aucupari satagunt; Etiam
invenies qui numeros disponūt, unitates
cumulant, lineas rectissimas ducunt, & ex
continuo vivunt atramenti suctu. Jam
multi quoque maria sulcant, exteros
petunt, merces apportant, pecuniam
amant & toti sese fœnori mancipa-
runt; Plurimi terram colunt, boves ad
aratra ducunt, & quotannis lætos labo-
rum colligunt fructus. Collegia arti-

ficum pariter sudant, & ad tædium
usque sæpe omnes intendunt nervos.
Sic innumerabilia ferè sunt exercitia
hominum; quibus assiduo labore in-
cumbunt; ita ut nulla sit plaga in uni-
verso hoc mundo, quæ non tumultu
& strepitu personet, & veluti turbidus
oceanus continuo murmure fragoreq;
fremat ac tonet; adeo, ut si quispiam
accuratè hæc perpendere velit, non absq;
stupore quodam, in admirationem vi-
rium naturæ rapiatur. Sed dicat ali-
quis, plurimos in societate hominum
reperiri: soli otio addictos; quos qui-
dem è commercio hominum non su-
stulerim: sed illi ipsi sunt, *qui uihil a-
gendo male agere didicerunt*, ideoque
turpibus indulgentes flagitiis, enormi-
busq; se maculantes sceleribus, horrida
judico agere, & cum maximè otiantur,
nihil minus quam otiosos esse. Hæc ego
Patres & Parens charissimi, in statera
cordis sæpius appendens; miseram de-
prehendi vitam, quæ honesto labore
NON

non suffulciatur; Quapropter cum mea
vita, literarum jam sit studiis dicata,
in ijs, necessarium duxi, qualemcunque
mihi comparare supellecilem: Quo no-
mine nunc post quadriennii fere otium
rurale, ad pia studia Academica, tan-
quam postliminio, reversus sum; com-
modam ratus mihi fore occasionem
donec juveniles suppetant anni, cruda
adhuc studia, in aliqualem maturita-
tem perducendi. Cujus quoq; rei avi-
dus, præsentē dissertationem, dirigente
viro admodum rever. Dn. Præside, in
publicum prodire volui. Quos labores
vobis Patres & Parens honoratissimi
offero. Quæ quamvis non pares sint,
vestris beneficijs favorive, (Paterna be-
neficia ut innumera sunt, ita sacro silen-
tij velo involvenda.) suscipite tamen
eo quo me ipsum hactenus amplexi
estis vultu, suscipite inquam munus-
culum, si non alia re, argumenti sane
nobilitate commendabile. *Vulnera*
offero vobis *Christi*; & cum ipsorum
a; vul-

vulneratum, supplex contendo, ut se-
ros annos, optandam sanitatem, & fa-
cilem canitiem in promovendo gre-
gis sui commodo & patriæ orna-
mento, benigne vobis largiatur: Va-
lete & solito amore favete

Dab. Aboæ
d. 11. Maii,
A. 1681,

Vest. Reverendarum
Dignitatum,

&

Parentis,


obedientissimo filiali cultu suspiciendi,

additissimo

J. LAIBECK.

LECTU.

LECTURIS PACEM A JESU!

 *R*ihodoxiam Evangelicam ac ejus fundamentum, Scripturam S. non uno modo a veritatis hostibus impeti, est quam notissimum. Pugnant itaque pro asserenda doctrina caelestis puritate, fideles Christi servi. In hac vero militia sacra, nihil aut magis necessarium ad veritatem tuendam, aut infringendis hostium telis magis idoneum, aut utilius denique esse poterit, ad novas praecidendas lites, quam genuinum verbi divini sensum, in omnium ponere conspectum, ac haereticorum circa eundem detorsiones detegere & refutare. Per aliquot annos in opere S. Bibliorum exegetico, lingua per Septentrionem latissime recepta, Deo benedicente, urgendo, occupatus fui: & quia Academicis disputationibus etiam propugnanda est veritas; Novi Testamenti, divina adjuvante gratia, vindicias contra Calvinianos inchoare constitui. Illorum namque secta, post Pontificiorum valida est, & pra alijs omnibus, opinionibus suis robur maximum, licet temere, a scriptis Divinis promittit:

tit: hinc ratiunculis quibusdam labefactare
conantur dicta, Lutheranam nostram ortho-
doxiam firmiter; & abutentes ratione, pro
se haud pauca perverse exponunt. Quo-
niam vero res infiniti pene foret laboris,
quemvis locum a quolibet Calviniano sic
vel sollicitatum vel corruptum, excutere,
opere compendium pretiumque facturi,
aggrediamur publica Calvinianæ reli-
gionis scripta Biblica; illa intelligo, qua
non latine pro eruditis scripta sunt, sed qua
ut publicæ auctoritatis commentaria & Scho-
lia in vernaculis suis linguis legunt, Ger-
mani, Angli, Belgæ, Galli, Itali, sub
reformatæ Ecclesiæ nomine, Calvinianam
sectantes è τρεποδοξίαν. Verum cum prolixi
operis ratio, perpetuo servanda, accurate
prius dispicienda sit; ac eo animum appel-
lere, proximis elapsis mensibus non licuerit,
hocce exercituum interea paravi curavi.
In studio enim Theologico nihil Christolo-
gicis suavius est, & illa qua in ijs hacten-
us peculiaribus capitibus locum non habuere,
utpote de CHRISTI sanguine, sudore
sanguineo, vulneribus & cruciatibus
ani.

animæ, hisque similia, visa mihi semper
sunt accuratiori consideratione digna: qua-
propter variorum de illis conquisivi scri-
pta: interque illa de Vulneribus Chri-
sti, oblatum quoddã haud exiguum DN. JOH.
SAUBERTI, S. Th. Doct. & prim. Profess.
Aldorsini, &c. omni eruditione Theologica &
Philologica refertum. Quod lectum adeo
mihi placuit, ut cum nihil convenienter ad-
di possit, operam vel id apud nos reddi
vulgatius, vel, quod citius sperari licebat,
eius medullam multũ cognitam fore. Quan-
do hortis integris singuli frui nequeunt
collectorum florum fragrantiam pluribus con-
cedere solemus. Ac postquam Vir venerab.
& doctissimus, DN. JOHANNES LAIBECK,
pulcherrimo instituto Academiam revisens, in
collegio Disputatorio, quo controversas mate-
rias pericoparum Evangelicarum, diebus sa-
cris usitatarum, ventulo, semel iterumque pie-
tatem, iudustriam & eruditionem suam com-
probaverat, ostendi illi que modo tractatum
istum de Vulneribus Christi, in ampliorem
fructum emitti desiderabam. Consilium
meum graviter observavit, & CLXIV. ma-
jorum

orum foliorum contenta, intra has pagellas reduxit: illas non semel perlegi, cum Saubertianis contuli, quaedam immutavi, pauca inserui. Hac profunda erant, tum ut majorem habeat eruditiss. DN. LAIBECI laudem, quam qui leviori labore aliena exscribunt; tum ut liberetur plene ab eorum crimine, qui dissimulatis auctoribus, aliorum scripta compilant. Vale Lector pie, & devote IESU vulnera meditare.

JO. GEZELIUS, J. F.
S. Th. D. & Prof.

I. N. J. D.

DE VULNERIBUS CHRISTI



Admiranda prorsus fuit Christianorum in prisca Ecclesia, pietas & amor; cum sanctis *Martyribus*, qui ob confessionem nominis CHRISTI affligebantur, maximi non modo haberentur honores; sed & *vulnera* eorundem, ut veterum testantur monumenta, quæ propter celebrationem salvifici istius nominis inflicta erant, summa reverentia & osculis prosequi nemo non honestum & pium duxerit. Si igitur prisca illi pietatis candidati, *sanctorum martyrum vulnera* tanti fecerunt, quanti jam nobis *dulcissimi SALVATORIS nostri vulnera* facere incumbit? & *ijisdem devota*

A cordis

cordis nostri figere labra. Pro nobis quippe, & pro peccatis nostris vulneratus est, & adhuc suavissima voce: videte & palpate, Joh. xx. 27. ipse id ad faciendum nos invitatur. Omnem itaque videbimur exuisse sensum, & nomine Christianorum planè indigni, nisi hæc tam sancta & sollicita Redemptoris nostri vox & invitatio, nos percellat ad *vulnerum* ipsius piam contemplationem & meditationem. Qua de re pulchre, Augustinus: *Inspice vulnera pendentis: sanguinem redimentis: cicatrices resurgentis: caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum: brachia extensa ad amplectendum: totum corpus expositum ad redimendum. hæc quanta sint cogitate, hæc in scatera cordis vestri appendite, ut totus figatur in corde qui totus fixus est pro nobis in cruce.*

Vulneris igitur vocabulum quod attinet, est illud pure latinum, & accipitur vel in *nativa* sua *significatione*, vel *tropica*. In *hac*, præsertim apud profanos Auctores, pro *dolore* & *luctu*, quem amici amicorum, parentes liberorum, liberi parentum, vel aliorum consanguineorum morte & calamitatibus percipiunt, vel quacunque de re & occasione, utpote injuria, contumelia, cæterisque ejusmodi, concipiunt. Deinde pro *nimio amore*, quo pertinet illud Virgilij. V. *Æneid.* ab init:

*At Regina gravi jam dudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Præterea Cicero accipit, pro *tabularum litteris*, apud Virgilium vero & Plautum sæpe sic audiunt *instrumenta quibus vulnus infligi solet*. Porro accipitur pro *ulcere* ut *Esai.* 1. 6. & tandem Theologis venit nomine *delictorum contra conscientiam*. Sic apud Cyprianum, Prudentium, Bernhardum, aliosque.

Proprie vero, *vulnus est fissura sive apertura carnis, in corpore animato sensibili, beneficio ferri aut alterius rei, qua vicem instrumenti sustinet, facta*. Et sic differt à cicatrice, quæ est *vulnus jam sanatum*.

§. 3.

Synonymia quoque occurrit apud Auctores. Audiunt vulnera sæpe *plagæ* quia Græcum *πληγή*, unde *plaga* dicitur, est *vulnus*; & ita in vers. Vulgat, 1 Reg. xii. 35. Mich. i. 9. & sic quoque *lacune*, *Foramina corporis penetrati*. Et Metaphoricè *sulci unguularum*: Ungulæ enim erant instrumenta bidentia, avicularum ungvium figuram referentia, quibus sanctorum Martyrum corpora lacerebantur. inter alios consule Prud. lib. *Peristeph.* conf. Psal: Cxxix. 3.

§. 4.

Hebræi vulnus vocant *Pazá*, à radice *Pazá*, significatq; tale *vulnus quod sanguinem evomit*. & sic differt a *chaburah*, *livore*. Græcis vero sonat *Τραῦμα* ut Luc, x. 34. & *Τρῶμα*, apparetque esse a *Θραύειν*, hoc significat *frangere vel ferire*, & eo LXX utuntur pro immoderata Jonathanis tristitia, qua Davidis nomine angebatur. 1. Sam. xx. 24.

§. 5.

Hiscæ prælibatis, ulterius ad ea quæ propius ad institutum accedunt pergendum est, & ipsa *vulnera REDemptoris nostri* consideranda. Eorum tam in S. *Scriptura* a Spiritu Sancto, quam passim in *scriptis piorum Ecclesie Doctorum*, quæ posteritati *reliquerunt*, mentio fit.

§. 6.

Scriptura Sacra de iisdem loquitur: vel simpliciter, vel per periphrasin. Primus qui huc pertinet locus, extat in protevangelio: *Et tu* (scil. serpens) *conteres ei calcaneum*, ubi in originali extat vox *Teschubannu*, circa cujus expositionem varia deprehendimus sententiarum divortia: imprimis LXX. qui vertunt $\kappa\alpha\iota\ \sigma\upsilon\ \tau\eta\rho\acute{\eta}\sigma\iota\varsigma$, *Et tu observabis calcaneum ejus*: quasi legissent *Teschurannu*, pro *Teschubannu*. sed sunt & ij qui ipsorum $\tau\eta\rho\acute{\eta}\sigma\iota\varsigma$ legunt per $\tau\epsilon\rho\eta\sigma\iota\sigma$ a $\tau\epsilon\rho\omega$, *affligo, vexo, infesto*. Nos vero ex constanti codicum fide retinemus *Teschubannu*: cujus radix est *Schubp. contrivit, conculcavit, contudit*; adeoque est sensus: futurum esse ut serpens antiquus Diabolus, ad excisionem Christi nihil intentatum relinqueret, quam crudelitatem suam tum maxime declaraturus esset, cum filium Dei ministerio eorum, quos ad id instigaturus erat, in mortem crucis adigeret. *Vulnera* itaque servatori inflicta, & præsertim *pedibus ejus*, in cruce, & cruentam eadem secutam mortem, verbo *conterere*, Ipse B. Lutherus in Glossa, & omnes fere cum eo orthodoxi, indigitari sentiunt.

§. 7.

Ad hunc proxime accedit locus iste multum inter Theologos & Philologos vexatus,

Plal xxii. 17. quem nonnemo Doctōrum
crucem Theologorum appellare, non est veri-
 tus: *Circumdederunt me canes, cæcus mali-*
gnantium obsedit me, fodientes manus meas
& pedes meos. Ubi verbum *fodere* vel *fodien-*
tes, quod est ab originali *Caari*, varias patitur
 interpretationes. Nos tantum eorum, eamq;
 procul dubio verissimā retinentes sententiam,
 qui *Caari* dicunt unam esse vocem, ab antiqua
 radice *Cur*, quam extitisse non modo & in usu
 fuisse, sed idem cum *Carab* & *Kur* significasse:
 fundamentis ex idiomate Hebræo, Arabico,
 aliundeque ab aliis monstratis, contendimus,
 & valuisse *fodit* vel *fodere*: adeoque
 David hic descripsit *vulnera Christi in ma-*
nuum pedumque ejus fessione infligenda,
 quod & ipse scopus Prophetæ confirmat; qui
 erat futuram passionem & crucifixionem
 Redemptoris ostendere. Idem suo compro-
 bant calculo, præter omnes versiones Chri-
 stianorum Europæas, etiam orientales, utpote
 Syriaca, Chaldaica, Arabica & Æthiopica. Et
 reliquis omnibus antiquior τῶν LXX. habet
ὠρύξεν, ἀπο τῆ ὀρύσσειν, fodere.

§. 8.

Deinde Esaias hæc describit *vulnera* in
 memorabili illo capite LIII. pluribus verbis,
 præprimis vero v. 4. tria deprehenduntur ver-
 ba

ba, *Nagá*, quod inter alia significat *lesit*; percussit, plagis affecit. *Nachab*, quod itidem in Hiphil significat *percussit*: & *Chul*, quod est emphaticum; *horroremque* & *tremorem*, cujusmodi in partu laborantes femellas tenere solet, notat., conf *Esai. xxi. 3.* *Jer. iv. 31.* itaque per *Metonymiam*, vulnera Christi per ejusmodi *dolores* & *cruciatu* describuntur, versu vero 3. vocatur *Salvator vir dolorum*, dolor autem iste ex *vulneribus*. Porro versu 5. legitur *bachabyrato: livore ejus medicarum est nobis*, vel vulgatius, *livore ejus sanati sumus*.

§. 9.

Demum apud Prophetam Zachariam extat verbum *Dakar*, quod neglecta versione *Lxx.* Interp. *καὶ ἀρχήσαντο*, exponimus *transfodit, transfixit* ut sit sensus *Zach: xii. 10. adspicient ad me quem transfixerunt.* quod ex usu vocis in alijs locis, & ex consensu optimorum interpretum, probari solet; maxime ex *Joh: xix: 32.* *Transfigendum* enim fore ipsum Messiam, eventus dilucide ostendit, cum non modo *latus* ejus sanctissimum in cruce: Sed & *manus* & *pedes* transfoderentur. & cap. *xiii. 6.* ejusdem Prophetæ, legitur vox *Macchoib.* juxta interpretes significat *plagas*, quæ magna cum crudelitate infliguntur.

ur. *quæ sunt plaga iste in medio tuarum
manuum:* habet versio latina.

§. 10.

Jam ex *Novo Testamento* petitæ sequuntur
locutiones, ubi imprimis occurrunt verba
Νύσσειν & ἔκκεντέιν. illud a Νύσσω legitur
Joh XIX. 34. Ἐἰς στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτῆς τὴν
πλευρὰν ἐνυξῆε. *unus militum hasta latus
ejus fodit,* Νύσσειν enim significat pungere,
fodere, sed Vulgatus vertit *aperuit* quasi esset
ἤνοιξε, quod B. Lutherus in sua versione re-
tinuit & alij cum illo.

§. 11.

Alterum ἔκκεντέιν à verbo ἔκκεντέω, *Trans-*
figo, transfodio, compungo, inter cætera con-
spicitur Apoc. 1. 2. *videbit ipsum omnis oculo*
us & qui ipsum compunxerunt.

§. 12.

Deinde occurrunt *duo nomina abstracta,*
quorum prius est σίγμα, Gal. VI. 17. dicit
Divus Apost. Paulus *Ego enim stigmata*
Domini Jesu in corpore meo porto. ubi ad mo-
rem veterum alludit, qui notas quas servis
inurere solebant, *Stigmata* appellabant.
De quo cui placet consulat *Auctores,* de An-
tiquitatibus scribentes. Sic etiam *Tyrones*
antiquitus notari solebant. Talia quoque
sti-

stigmata Celeberrimus ille Apostolus cum reliquis Martyribus in corpore suo retulit, scilicet: Christum Magistrum secutus, qui ipse instar servi abiectissimi tempore passionis stigmatizatus est.

S. 13.

Posterius nomen est *Μάλωψ* 1. Pet. 11. 24. id est *vibex*: *cujus vibice vos sanati estis*. Ex Syriaca transfertur: *maculis ejus sanati estis*.

S. 14.

Jam ad ea quæ per periphrasin quandam, *vulnera* CHRISTI inculcant, pergendum: inter quæ non est negligendus locus Cap. 11. v. 14. Cant. Canticor. *Columba mea in foraminibus petrae, in caverna*, ubi neglecta sententia Rabbiorum, efferentium hæc per *Civitatem rupis*. Una cum Orthodoxa antiquitate *vulnere* intelligimus CHRISTI. S. Abbas *Bernhardus*, in sermone LXI. super Cantica Canticorum, Tom. 1. *Verissima petra est Christus, & quid vulnera nisi foramina? In his, idem ait Abbas, passer invenit sibi domum, & curret nidum ubi reponat pullos suos. In his columba sese tutatur & circumvolantem intrepide intuetur accipitrem. & adhuc: ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies? nisi in vulneribus SALVATORIS.*

§. 15.

Deinde Esai. xlii. 3. *haurietis aquas cum gaudio ex fontibus salutis.* vel ut non nemo exponit *salvatoris*: eo sensu accipi solet; tanquam propheta per ipsas fontes intelligat *melliflua foramina Redemptoris nostri.*

§. 16.

Præterea reperiuntur loca Novi T. quæ huc pertinent, utpote Joh. xi. 25. ubi hæc vulnera vocantur *τύποι Ἰωνήλων*, *figure sive nocte clavorum.* vel ut quædam latina exemplaria habent *vestigia clavorum.* Gerhardus Joh. Vossius censet non legendum *Ἰύπων* sed *Ἰόπων*, idest locum clavorum; quod idem Syrus Interpres indigitare videtur. B. vero Lutherus *τύπων* retinet.

§. 17.

ULTIMO tandem *piorum Ecclesie Antistitum* reperiuntur, varix appellaciones & præclara iisdem tributa nomina: ut in Manuali quod D. Augustini nomine circumfertur, inter cætera hæc vulnera Christi audiunt *Tuta & firma requies infirmis: Vulnera plena misericordia, pietate, dulcedine.* Et, sunt verba Authoris dicti Manualis, *in omnibus adversitatibus non invenio remedium tam efficax: quam Christi vulnera. In illis securus dormio & intrepidus requiesco.* Deinde S. Bernhardus sermon 1. *in natali Domini Tom. 1. oper. fol.*

fol. 64, vocat ea: *quinque fontes Christi*. petita proculdubio appellatione ex cap. Esai. xii. 3. Idem in *Soliloquijs* cap: iv. *Ostium Arce* quo totus intrari possit usque ad cor ipsum *Jesu in Sanctum sanctorum*.

§. 18.

Præterea ab alijs pijs & devotis Doctõ-ribus vocantur: *quinque purpurea rose*, *quinque lucidi soles*, *quinque scintillantes stelle*, *quinque pretiosissimi & ignicoloris rubini*. *quinque Asyla*. *quinque auree vene & alia ejusmodi*.

§. 19.

Definitionis loco quam jam ordo requirit, talem adhibebimus descriptionem: *Vulnera Christi, sunt ejus sanctissima & ab omni confortio peccati alienissima carnis, ample & acerbæ fissuræ, à Prophetis impulsu Spiritus sancti diu ante prædictæ, & ejusmodi temporis cursu exacto, connivente Deo, instinctu antiqui serpentis, à Judæis felle & sceleribus omnibus suffusus, per milites Romanos, utriq; ejus manui & pedi quidem acutissimis clavis; lata vero lancea, ejus lateri alterutri in monte Gulgata facta, ut prævijs cruciatibus exquisitissimis laceratus adeoque distractus, morte tandem purpurea obiret; ex divina vero dispositione in omnium hominum salutem & solatium cederent.*

§. 20.

Numerum ejusmodi vulnerum, quod attinet, præcise equidem in Scriptura eum non habemus, neque facilè ante tempora S. Abbatis Bernhardi, determinate illa numerari reperies; is vero quinarium multis suis scriptis celebravit, Utræque SERVATORIS manui, utrique ejus etiam pedi suum tribuendo vulnus. Quintum vero illud lateri mortui jam in cruce SALVATORIS hasta transfosso. Eundem quoque numerum Ecclesia post ejusdem Sancti patris tempora, retinuit & approbavit.

§. 21.

At pontificij Doctores plerique, hoc numero non contenti, augent eum; quidam in septenarium, ut Petrus Damianus in Sermone de vulneribus Christi, & nonnulli eum eo alii, quemadmodum non nemo Theologorum docet Christum septies flevisse, & S. Bernhards, septies sanguinem emisisse eum asserit, in tractatu de passione Domini. Tom. 1. fol. 1054. Ita hi CHRISTUM septem vulnera tulisse pertendunt. Septenarium quippe numerum Doctores μουσικώτατον habent, ut inter alios vid. August. de Civit. Dei cap. xxxi. Tom. 1. p. 1105. Horum primum dicunt illum accepisse infantem, ex cruenta præputij amputatione, die octavo post nativitatem, Alterum cum sudorem sanguineum

in borto emisisset, Tertium ex corona spinea: quartum cum in crucem ageretur: quintum iatus cum transfoderetur. sextum genus, cum Clavi per ejus manus adigerentur, & Septimum cum pedes cruci affigerentur. horum quoque septem CHRISTI vulnerum efficaciam, septem peccatis quæ cardinalia vocant, Pontificij opponunt. I. Luxurie, II. Gule, III. superbia, IV. Odij & Invidia, V. Ire, VI. Avaritie VII. denique Accidie, pœnam luisse tradunt.

S. 22.

Alii cum *Johanne Heroldo*, adhuc plura numero vulnera quærunt. *Lora* ex quibus flagella confecta erant definiunt, quibus sanctissimum *Sevatoris* corpus cædebat. Et eorum visillim nodos colligunt. Præterea *spinarum* non negligunt numerum, quæ capiti *Salvatoris* loco coronæ imposita erant. Quibus omnibus additis & collectis in unum, *vulnera* in corpore *REDEMPTORIS* nostri conspicua fuisse, quinque millia quadringenta septuaginta quinque, pertendunt. *Bonaventura* simili pacto coacervat summam plagarum 12262 & vulnerum 5475. estque antiquus verus.

*Septuagintaque quinque quater cent mil-
lia quinque*

*Tot fertur Christus pro nobis vulnera
passus.*

Hæc

Hæc ipsa vulnera *Pontificij* ita diviserunt, ut quindecim cuique attribuerint diei consideranda, & ut quindecies quotidie recitent PATER NOSTER, unum *pater noster* cuique *vulneri*, quindecies similiter AVE MARIA, quia animam *B. Virginis Mariæ* tot vulneribus sauciam pertendunt quot Christi corpus. Et hac ratione *quotannis* numerum vulnorum absolvent.

Nos vero haud tutum esse censemus, certum & determinatum hunc statuere numerum sine omni scriptura, certum quidem est *plurima carni Christi esse inflicta vulnera*; sed numerus eorum nobis est planè ignotus. Manendum itaque in hoc *S. Athanasii: Simplex fides, præstantior est quam curiosa probabilitas. Primum* sane vulnorum, quæ carni salvatoris nostri inflicta erant, non negamus fuisse illud quod infanti adhuc ei, octavo post fructiferam ejus nativitatem die, imprimitur, cum ex lege Judæorum eorumque ad ritum circumcideretur. *Luc: 11. 21.* quod certe non erat vulnus exigui doloris, ut inter alia probat exemplum Sichemitarum, *Genes. xxxiv. 25.* Sed id hujus instituti non est.

Pari ratione quod de *sudore Sanguineo* salvatoris, in horto, ad montem oliveti agit, *Luc. xxii. 44.* concedimus *svavissimum Redemptorem*

rem nostrum, ita angoribus animi undique circumfusum fuisse, ut sanguineum ingenti copia emitteret sudorem, Matth. xxvii. 33. 38. Mar: xiv. 33. Luc. xxii. 44. 45. non tamen inde sequi, nec quoquam modo probari posse existimamus: *Sanguinem* illum, vel potius *sudorem sanguineum*, ex uno certo vulnere, *Salvatori inflicto*, emanasse, sed tantis erat *Redemptor* noster conclusus angustiis, ut toto corpore & omnibus artibus, sudorem effunderet sanguineum.

§. 26.

Verum alia insinuat loca *facër codex*, quæ propiora sunt instituto, utpote eum docent Evangelistæ: iudicem *Pontiũ Pilatum*, cognita innocentia Jesu, voluisse liberare eum a morte crucis, quem Judæi votis poscebant, & decrevisse eum flagris casum iri; quod Evangelista, Joh. xix. 1. verbo Ἐμαστυγῆν inculcare vult; illud notat, *flagellare, scutica cedere*; descendit quippe ἀπό τῆς μάστιγος quod *scuticam* notat. Si autem aliquando contingat, ut sumatur pro *virgis* apud profanos Authores, illud scripturæ non derogat quidquam, quæ semper pro *loris* usurpat Act: xxii. 25. Evangelistæ *Matthæus* & *Marcus* utuntur verbo: Φεγγελλῆν eodem sensu. Pro quo *Syrus Interpres* habet utrobique *flagellare*, cum emphasi quadam, intendit scili-

cilicet: *flagellationem* cum distentione & distractione, quod etiam moris erat, tam apud Judæos, quam gentiles, ut flagris vulnerandi extenderentur, ita ut omnibus corpus pateret ictibus, sed illis, Judæis puta, certus numerus plagarum constitutus erat, ita ut XL. vel xxxix. plagas excedere fas non erat. Deut. xxv. 3.

§. 27.

Hi vero longe crudeliores erant, & quidem Romani, consuetudine mutuata à Græcis, servos ad rotam extentos flagris fatigare, & adeò crudelia de ijs sæpe sumptere supplicia, ut rotam noctem pendentes hæc passi sint. Pendebant vero illi, ut omnia extenderentur membra, quemadmodum testatur Johannes Meursius, in omni antiquitate & eleganti literarum studio versatissimus, aliq;. Hoc sine dubio modo, etiam ipse Salvator extensus est, ab acerbissima militum Romanorum turba.

§. 28.

Ipsa vero *vulnera* quæ actus flagellandi pro more Romanorum, dedit Redemptori nostro, nec pauca nec levia fuere, certum tamen numerum eorum nullatenus determinare possumus. Cum *Romanos* ista in re nulla coercebat lex, quemadmodum de *Judæis* modo dictum est. At Salvatorem Judæi existimarunt, indignum iuxta suam legem pati, qua-

quapropter eum gentili tradiderunt Pilato,
& reliquæ militum Romanorum cohorti.
Hæc autem gens suos quos pœnæ destina-
verat, eosque sæpe torfit, ut animi pateren-
tur deliquium, quamobrem vasa erant in
prætoriiis posita aceto plena, quibus refrige-
rium eis adferrent. ut docet Frid. Taub-
man. *Comment. in Plant. Asin. Act. II. Scena II.*
vers. 37.

§. 29.

Et quamvis non de numero constet horum
vulnerum Jesu, non tamen est de ijs abjecte
sentiendum, nec dubitandum, quin plurima
fuerint; quod etiam ex ipsis instrumentis qui-
bus adhæc usi sunt, colligi potest.

30.

Hebræis erat tale, flagrum contextum ex
loro taurino, ut ex scriptoribus *Mi-
schne* docemur. Verum Romani quan-
to erant in flagellando inhumaniores,
tanto & in ipsis *flagellis*, scil. aciculas,
uncinulas, aculeos ferreos, talosq; ex pecuinis ossi-
bus decerptos, loris innectere solebant, Ita ut
istis sæpe abdita costarum nudarentur, & per
vulnerum lacunas resectum jecur pulpitan-
cerneretur. B. Gerhardus *Part. II. Harm. cap.*
CXLIV. fol. 1904 Conf. 1. Reg. XII. 14. & præ-
terea varij erant *Græcorum*, miserandi-
q; ritus; qui nonnunquam flagella globis plumbeis
impedire solebant, quibus deinde reorum ter-

gora percutiendo lacet runt, quod ipsum & apud Romanos in usu fuisse non plane ibimus inficias.

S. 31.

Sed num hæc flagella, quibus in sanctissimum Christi corpus lævitū est, fuerunt ad eum modum aculeata nec ne? certi aliquid statui non potest, nonnulli tamen contendunt ea maxime aculeata fuisse. Inter quos & S. Hieronymus nomen proficetur suum, Huc pertinet carmen apud Wolffium *Cant. 11. Rerum memorabilem*.

*Verberis apparet duri per membra character,
Purpureo & tinctum sanguine corpus habet;
Adpersus sanie tanquam leprosus habetur
Nam nihil illesum præteriere canes.*

Adeo igitur constat jam, inhumane corpus Servatoris nostri laceratum esse. Quod tamen ab ipso Pilato in individuo factum, ut scilicet flagellarit Jesum, nemo facile dixerit; extat quidem Joh. XIX. 1. Τότε ἔλαβεν ὁ πλάτος τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐμασίγωσε. Scilicet non ipse in individuo, sed ministerio vel *militum*, vel certe *alicujus Licitoris* vel *flagellatoris*, qui ad id munus destinatus erat, quales olim apud Romanos fuisse constat: & imprimis *οἶτο* ut ex monumentis eorum colligere possumus. vid. Plaut. *Asin. Act. III. Scena 1. vers. XIX.* vocantur *οἶτο valentes, Astuti, Audaces, viri virgatores*: Item *οἶτο validi licitores*. quot vero horum

jam

jam adfuerint, cum Redemptor noster Sanctissimus vapularet, in tanto silentio Scripturæ, decernere non possumus. Sive tamen plures sive pauciores adfuerint, illud tantum scimus: ita corpus ejus qui pro nobis passus est, tractatum esse, ut parum abfuerit quin ipse Pilatus, deformitatis & cruenti ejus corporis, tangeretur misericordia. Quia si somnijs Brigittæ fides habenda esset, vidit ei esse *quingenta vulnerum millia*, & ut *Vincentius scribit*: Christum ita vulneratum fuisse, ut cuilibet ossium ejus triplex ictus acerrimus, responderit; Corporis vero humani ossa, judicio medicorum sunt ccl. xxvi. adeoq; summa plagarum Christi inde sequitur Dccc. xxix. quæ hic loci dicta sufficiunt.

S. 32.

Ad reliquorum itaque vulnerum Christi considerationem, progressum facimus, & ea quæ corona illa ex spinis acutioribus compacta, de qua ap. Joh. xix. 2. legimus, Sanctissimo Redemptoris nostri capiti inflixit contemplabimur. Corona apud Judæos & quascunque Gentes *symbolum Regni erat*; quod vero hoc impium genus hominum, imposuit eam *Salvatoris nostri capiti*; eo adfectatos honores Regios exprobrare voluit, & qualem ipsum Regem agnoscebat, tali & corona caput ejus circumcingebat. *Materia* quippe ejus erat *ἀκανθα*, *Spine* vel *sentes*. Conf. Math. vii. 16. Luc. vi. 44. & viii. 7. 14. qua

de re non adeo multum controvertitur. *Clementis* tamen *Alexandrinus*, è rubo contextam fuisse asserit eam, *Lib. 11. Pedagog. cap. 11x.* nobiscum vero consentiunt Sancti Patres: *Tertullianus*, & *S. Hieronimus Comment. in Matth. xxvii.* Adde & carmen illud adnexum operibus *L. Cælij Lactantij.*

- - - - - *En aspice crines*

*Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisq; caput crudelibus haustum,
Undiq; diva pluent vivum super ora cruorem.*

S. 33.

Ipsa ergo vulnera in coronatione data, quod attinet, amplissima auguraremur fuisse, si monachis credendum esset: qui spinarum istarum fidam custodiam, in *Basilica S: Crucis Romæ* agi jactant; Illas vero *Claudius Salmastius*, refert adeo longas & acutas esse, ut crassas aciculas adæquent.

S. 34.

Sunt nonnulli qui *Lxxvii. sentes*, in hac corona fuisse autumant, quorū quilibet, tres habuisset acies, & mille vulnera capiti *Salvatoris* fuisset inflicta. Sed consultius forte est, idem de numero horum vulnerum ferre judicium, quod ante de vulneribus in flagellatione relictis, ferebamus. Credibile tamen est, coronam istam *Servatoris* capiti, summa cum crudelitate impositam esse, quia & *Evangelistæ* utuntur voce *ἐπέδησαν*, quod de onere grandi in scriptu-

re S. dici solet, ut Luc. xxiii. 26. *de mole crucis Christi.* Act. xv. 10. *de jugo gravi.* ita & hic non de multitudine & magnitudine materiæ coronæ hujus *ex qua*, quàm de imponentium effræni crudelitate dicitur.

§. 35.

Sunt etiam Doctores pij, qui colligunt, milites hosce ferocissimos: coronam hanc in caput illud sanctissimum adegisse, ferreis chirothecis & baculis arundineis. Sic S. Bernhardus *cap. 19. De passione Domini.*

§. 36.

Facile quoq; est judicatu, non minimum *servatorem* perferensisse dolorem, ex detractio- ne & iterata impositione coronæ hujus, ut loquitur Daniel Classenins *Lib. 11. Exercit. ad passionem, Dom. cap. xx.* Detractam enim putat coronam, cum exuta veste coccinea, propria indueretur Salvator, & iterum repositam capiti, cum egressus adduceretur ad locum supplicij.

§. 37.

Nonnulli Pontificiorum coronam hanc ex *spinis* non fuisse, sed ex *juncis marinis* contendunt, sed vanissimis & talibus quæ nullius sunt momenti, suffulti fundamentis. Martinus Delrio, ipse Pontificius, *Secl. 1x. de passione,* testatur: Se non semel lustrasse oculis suis, magnam illam coronæ partem quæ Parisijs in S. Sacello adservatur. Imo plurimas Pontificij in suis sacris, spineas coronas reservatas

ostendunt. Ut supra diximus. Verum his
sepositis, veritas recepta aliunde probatur,

§. 30.

*Magna vero illa vulnera, quæ in ipso actu
crucifixionis, Salvatori impressa sunt, S. Scri-
ptura sive Historia Evangelica insinuat, ipsa
scilicet, quæ manibus pedibusq; acutissimis cla-
vis, alterutri vero lateri Redemptoris nostri,
lancea inflicta sunt. Ea quæ hæcenus con-
templati sumus vuluera, fatemur & facendum
est, ampla, acerba & satis profunda fuisse, hæc
tamen ab interpretibus: *Vulnera majora* ap-
pellata sunt, & in monumentis eorum κατ' ἐ-
ξοχήν, *vulnerum* nomine nonnunquam veni-
unt, & *quinario* circumscribuntur *numero*.
Horum etiam supra data est definitio.*

§. 39.

Jam vero circa considerationem hanc *vul-
nerum Salvatoris in genere*, notandum est:
Non casu quodam aut fortuito, hæc Christo
Θεῶν Ἰσώπῳ contigisse, Act: 11. 23. Sed jam
dudum ante à S. Trinitate ea prævisa fuisse,
juxta ejus omniscientiam & præscientiam,
juxta quam nihil eam latere potest. Non
tamen cogitandum nedum dicendum est:
Deum ab æterno ordinasse *Judeos*; aut in-
stinctu eorum, *milites Romanos* ad vulneran-
dum & occidendum filium suum, aut ipsum,
voluntatem eorum hac in re comprobasse,
nedum produxisse aut actu aliquo directo ad
ipsum opus concurrisse; negativè enim

ad hoc concurrat, nimirum non impediendo pravam eorundem voluntatem, quam instinctu Satanæ conceperant, Joh. xiii. 2. & tollendo gratiam suam, tanquam ab ijs qui multipliciter per peccata id commeruerant.

§. 40.

Nec præscientia Dei huic horrendo actui, necessitatem aliquam tulit. Quemadmodum enim scientia, in præsentibus nullam importat necessitatem, ita nec præscientia in futuris, *ut accurate Boetius, & S. Augustinus: cognitio non potest fieri, nisi præcedant cognoscenda.*

§. 41.

Quod ergo prius erat ratione, quam a Deo per scientiam visionis cognosceretur, illud esse suum nequaquam habet à Dei cognitione. Bene itaq; hic notanda distinctio inter *decreti objectum & effectum*: *Objectum decreti* Dei, erat unigenitus ejus filius, per passionem & mortem suam, genus humanum redempturus. Dicendum namq; est, Deum ab æterno decrevisse; ut secunda Trinitatis persona, pro universo genere humano moriens, illud ab æterna morte, quam commeruerat, liberaret; at vero *effectum, ratione circumstantiarum*: Utpote *loci & personarum* eum determinasse, impium plane esset dicere, nullibi enim ejusmodi formulæ loquendi, in toto Codice Sacro occurrunt.

Potuisset omnipotens ille moderator rerum, aliter decretum hoc suū in effectum producere, ad eum fortassis modum, quo in horto Oliveti cum eo egit, ubi tum interioribus animæ, tum exterioribus corporis, cruciatibus immersum eum, jam prope ad mortem ruere sivit. Conf. etiam Hiob. 1. 2. & 2. Reg. II. 24. nullo itaque decreto cogente factum est, ut milites hi nequissimi, instinctu Judæorum, illi vero impulsu ipsius Satanæ, Luc. xxii. 53. dulcissimum Redemptorem nostrum horrendum in modum vulneratum occiderent. *inde Prosper. Actio Deo displicuit, passio grata fuit.*

Faceſſat igitur illud Valentini Smaltzj, quo Deum *deſtinasse ait, ut aliquis ex domesticis Christi traderet enim.* Pari ratione & Grætij cujusdam impium dogma, cujus idem fere sensus est. Quod solidæ refutatum aliunde peti potest. Illud tamen addimus, inveniri loca S. Scripturæ, quæ primo intuitu apparent, influxum ipsi Deo, in hæc vulnera vindicare: cujusmodi est Esai. LIII. 4. & alia similia. De ijs communiter judicamus: concurrisse Deum ad hæc; Sed certa ratione, permittendo scilicet ea, ut supra. §. 39. docuimus, & exinde salutem nostram operando. Notabile hinc est illud Bernhardi: *Dominus fecit quod milites fecerunt, non quasi jam excusationis aliquam*

quem prætextum habeat facinorosi illi, & mali causa in ipsum devolvatur; Sed quia Dominus ad lionem pessimam, ad finem optimum direxit, dum ex passione acerbissima filij, medicinam presentissimam, ad versus morsum antiqui serpentis paravit.

§. 44.

Romanos jam Milites, Causam Physicam proximam, in infligendis hisce vulueribus Salvatori statuimus, non tamen ignorantes, scriptores rerum Romanarum memoriae prodidisse: *Lictores & Carnifices* apud illum populum in usu fuisse, quorum hoc præcipuum munus erat, ut delinquentes in crucem agerent, & alia ejusmodi officia exequerentur, quapropter & non desunt illi ex Doctoribus, qui talem hic præsto fuisse opinantur, Lact. Firmianus *Lib. iv. de vera sapientia* cap. 18. Sic & S. Hieronymus & alij nonnulli. Sed ipsa Sacra Scriptura docet, *Milites Romanos hoc munere perfunctos fuisse*, Math. xxvii. 31. Quibus & vestes crucifixi Christi in prædā cesserunt. Joh. xix. 22.

§. 45.

Nec incredibile hoc est, nam Carnificis officium, militare hoc tempore fuit apud Romanos, ut exemplum est Marc. vi. 21. ubi Evangelista cum qui caput Johannis Baptistæ amputavit, vocat *σπεκλατωρά*, *Speculatorem* quod nomen teste Seneca *Lib. i. De ira*, æ-

quipollet *militi*. pari ratione & hic concludi potest, milites hocce Romanos, quibus Judæi Servatorem *Majoris contumelie causa*, ut putat Thophylactus, tradiderunt, partibus carnificis functos esse.

§. 46.

Sed datur causa propinquior illa Theophylacti modo nominata, ob quam Salvator gentilibus hocce traditus sit, videlicet dominatio & potestas hoc tempore Romanorum in Judæos. Joh. xix. 31. Id ipsum S. Chrysostomus indigitare vult scribens: *Quare Judæi Christum non occiderunt? Sed ad Pilatum adduxerunt? præcipua causa erat, quod parte maxima dominationis suæ erant privati, cum esset eorum Respublica in Romanorum potestate.* Unanimes igitur consensu profitentur Evangelistæ: Romanos Milites crucifixisse ipsum. Matth. xxvii. 35. Marc. xv. 25. Luc. xxiii. 33. Joh. xix. 18.

§. 47.

Et hujus farinae ille quoque erat, qui *lancea* Jesu in cruce jam mortui, *lancea transfodit*, Joh. xix. 34. Parasceve erat paschatos, festi Judæorum magni, qua nolebant supplicijs & funeribus contaminare festivitatem. Quod ipsum non modo inter Judæos, sed & inter ipsas Gentes, ut docet Gejerus *de Hebræorum luctu cap. v.* religio erat.

Hac igitur occasione, quod ex cap. Joh. xix. 31. quoq; sequitur, coguntur Præsides Judæorum, à Pilato precibus petédere, ut crura eorum qui crucifixi erant, frangi permetteret, ne forte vivi e cruce detraherentur, in qua festum jam eos manere impediébat. Illud vero conveniens fore medium, ad accelerandam mortem, Judæi sibi persuasi erant: Nam est non nemo: *Franciscus Nauisius* scil. qui liquorem quendam vitalem, genuum operculis inclusum esse existimat, quo emisso, homo continué moriatur. Alias erat hoc peculiare supplicij genus apud Romanos, distinctum à crucifixione. *Lipsius Lib. ii. de cruce cap. xiv.* & vocabatur *Σκολοκοπία* ut *August. Enarrat in Psal. xxxiii.* observat. Judæis vero illud erat plane ignotum, quibus *quatuor* tantummodo, destinati erant modi sumendi supplicij: *Lapidatio, que fit saxo; ustulatio que fit igne; Occisio que fit gladio; & suspensio que fit ligno.* Unde *Talmud: Quatuor sunt supplicia capitalia, domui Judicium, Synedrion tradita: Lapidatio, combustio, decollatio & strangulatio.*

Pilatus vero precibus Judæorum hic locum relictorus, milites confestim instruebat, ad finiendam vitam crucifixorum crurifragio; qui

qui venientes, latronis utriusq; fregerunt crura malleo, ut vult Sereniss. Augustus, author Harmoniæ Ecclesiast. part. II Qui malleus Romanis *μαχίονα* dicebatur, teste Casparo Barthio Lib. IX. *Adversar.* Cap. V. ad Jesum vero appropinquantes, mortuum jam illum deprehenderunt, ait Evangelista, & ἔκατέαξαν αὐτῷ τὰ σκέλη, non fregerunt ejus ossa. Ut impleretur Scriptura. Joh. XIX: 33, 36.

§. 50.

Accedentes tamen milites hi, vel carnifices potius, nihil minus opinabantur, quam Christum mortuum esse, Illi vero qui prope crucem salvatoris fuerant, in caliginoso, imo plus quam caliginoso isto meridie, sciverunt ipsum jam diem vitæ obiisse: qui & eum antequam vinculum corporis & animæ dissolveretur: viderunt in lacrymas effusum & singultus cientem, *Ebraeor.* V. 7. & si fidem mererentur quæ Petrus Galatinus Lib. VII. *de arcan. Catholice Veritatis* & Capnio: *de Verbo Mirifico* Lib. II. Cap. XL. tradunt; audiverunt ex ore illius Psalmum Davidis XXII integrum, vel ut alij; illum cū sequentibus, usq; ad XXXI. inclusive. Hi & aderant cum Jesus postquam gustasset acerum Joh. XIX. 28. clamore magno Math. XV XVII. 47. animam exhalavit.

§. 51.

Hæc omnia peracta, milites advenientes reperiebant, quapropter & crura *Jesu* non fregerunt,

gerunt, sed unus eorum latus mortui ejus, lancea transfodit: vel certitudinem mortis exploraturus, vel petulantiae suae militaris periculum facturus, vel aliud tale quid sentiens; eratq; ille unus ex illis ipsis quos Pilatus miserat, adeoq; gregarius miles; contra sententiam eorum, qui *Centurionem*, custodiae crucifixorum praesidem & praefectum, eum fuisse contendunt: quod si verum esset, Johannes procul dubio illum non *Στρατιώταν*, sed potius vel *ἑκατόνταρχον* cum Math. xxvii. 14. & Luc. xxiii. 47. vel *κεντήριον*, cum Marc. xv. 39. appellasset. Praeterea probat Casparus Barthius, eorum apud Romanos majores fuisse honores: quam ut tali officio fungerentur.

S. 52.

Sed quemadmodum illud in confesso est, nebulonem hunc, gregarium militem fuisse: Sciendum est: Romanos omnem militiam suam dispescuisse, in **Equites & Pedites**. Ideoq; oritur quaestio: *Eques ne an pedes*, hic fuerit? Qua in decidenda, quoniam res est exigui momenti, non erimus prolixi, ideoq; dicimus derestandum illum scurram, fuisse unum de peditum caterva, quod ex ipsa Historia liquido constat, *κεντήριον* enim iussis eum, cum socijs suis paruisse, probabile est. illi vero *Centuriones*, *Cohortibus* & *Manipulis* praerant, in quos *Peditatus* dividebatur; *Equestris* vero exercitus in *turmas*

&c.

& *decumas*. Quod res Romanas evolventi li-
quebit. Præterea & instrumentum quo usus
est, non leue est argumentum ad faciendam
fidem, cum fuisse peditem & λογχοφόρος
Sed de eo inferius.

§. 53.

Nomen quoq; hujus miserandi excrementi
hominis, se non latere existimant Doctores
Ecclesiæ Romanæ, qui *Longinum* eum nuncu-
pant. & refert Bartholinus de *aperto latere*
Christi pag. 115: epitaphium ejus inveniri pro-
pe Lugdunum ad confluentem Rodani & A-
raris, in fano S. Mariæ. Huic nomini pa-
tres Moguntini patrocinantur. Franciscus
Xaverius, *Ignatium* eum vocatum conjectat;
qui prius istud retinere maluit, ad Mauuale
S. Augustini provocant. *Longinus aperuit*
mibi latus Christi lancea & ego intravi & tibi
securus requiesco. Sed Manuale illud menti-
tur nomen Augustini, Authorem vero eum
non agnoscit, quod inter alios Erasmus Ro-
terodamus jam dudum probavit. Par esto ju-
diciū de Evangelio Nicodemi, quod citant
& circumferunt Romanenses.

§. 54.

Jam de *altitudine* crucis in quam Redem-
ptor mundi suspensus est, aliquid dicendum.
Arbitrantur eam nonnulli tantæ fuisse altitu-
dinis, ut duplâ hominis proceri æquasset lon-
gitudinem; aut nihil certi apud scriptores re-

tum Romanarum de ista re invenimus; non tamen usq; adeo altas ipsis cruces in usu fuisse, vel exinde probare nituntur docti: quod cum exirent in locum supplicij, crucis candidati, tum moris erat, lignum crucis humeris eorum portandum imponere; adeoq; illud non oportuit esse per magnitudinem grave. Solebant & tabellas, quibus scripta erat causa mortis crucifixi, in cacumina crucium adfigere, minusculis consignata literis, quæ tamen cum ab omnibus legi posset, sequitur crucem breviorẽ fuisse. vid. Walæum, *Commentario ad Evangelia pag. 989.*

§ 55.

Nec inde obscure hoc probatur, quod qui proxime adstabant, distincte cum ipsis cruciarijs locuti erant. Et tandem cum cadavera crucibus detraherentur, nullas iisdem scalas admotas esse constat, quod tamen nonnulli contra fidem historiæ Romanæ fingunt.

§. 56.

Conijcit Clariss. vir *Bartolinus*, lignum hoc, vel potius terminum ejus, à Judæis elongatum fuisse, in contumeliam JESU, sed nulli innixus rationi, cum Illud eo tempore non fuerit in potestate Judæorum, utpote qui Romanis parebant. Nec ex typo serpentis ænei quidquam evincitur; dicitur quidem ille exaltatus; sed breviter respondemus, plus sapiissime

pissime esse in typo, quam in antitypo, & v
se versa, quod ipsum & in hisce occurrit.

§. 57.

Hoc pacto jam audimus, quomodo Rom
ni milites impulsu & consensu Judæorum
dulcissimum Redemptorem nostrum eru
dederunt; Sed non illi soli, nos (proh do
lor!) in universum omnes idegimus: Isti *ph
sice*, nos *moraliter* per peccata nostra, tan
ei vulnera infligebamus, idcirco pius Pat
Anselmus: *Quid fecisti dulcissime puer J
su, ut hic judicareris? quid commisisti è
mantissime Juvenis, ut tam serviliter tract
veris? quod scelus tuum? quæ tua noxa
quæ causa mortis? quæ occasio damnationis
Ego sum tui causa doloris, tuæ culpa occisi
nis. Ego tuæ passionis livor, tui cruciati
labor, tuæ vindictæ flagellum.* Adde Esa
LIII. 5. 6. 2. Cor. v. 21. Gal. III. 13.

§. 58.

Porro considerationem ipsorum *vulnerum
manuum Christi*, ordo flagitat, manus enim
Salvatoris fuisse perforatas, & foraminibus cru
cis aptatas, fatemur, juxta vaticinium David
Psal. XXII. 18. *Foderunt manus meas & pedi
meos.* quod ipsum & ex ipsa Historia Evange
lica probatur, crucifixio enim absq; hac per
foratione peragi non potuit, ut pij omnium
temporum Doctores bene colligunt, inte
quos est ex veteribus: Cyprianus Martyr i
tractatu de *Sinai & Sion* fol. 144. Se

§. 59.

Sed de loco istorum foraminum, non levis est discrepantia inter eruditos, qua scilicet in parte manus ea fuerint? Veteres *χειρα* nominarunt, totum membrum brachij ab humero, ad extremos digitos usq;,& quod nos jam *manum*, illi *ἄκραν χειρα* dixerunt, teste Andrea Laurentio, in *Historia Anatomie Lib. XII. cap. I.* Nos vero veterum hoc usu illis relicto, intelligimus per *χῆρα*, extrema manuum ὄργανα ἀνπλαηπτικά, à non nemine vocata: quæ tribus imprimis constant partibus: *carpo* vel *brachiali*: *Metacarpio* vel *postbrachiali* & *digitis*.

§. 60.

Hinc interpretum, alij in *carpo* & *metacarpio*, alij vero in *Hir* seu *vola*, hæc vulnera visa fuisse contendunt. Nos vero illorum antefereimus sententiam & rationes, qui in *vola* sive *Hir* ea collocant. Notabile & hic loci est illud supra citatum Zach. XII. 6. *Quæ sunt plaga iste in medio manuum tuarum?* In suis *χῆρα* etiam Salvatorem vulnera monstrasse post gloriosam suam resurrectionem, testis est Evangelista Joh. XX. 25.

§. 61.

Deinde de Sanctissimis *pedibus*, Redemptoris nostri tenemus, eosdem pariter crudelem in modum vulneratos esse & extensos, in patibulo crucis, ita ut omnes nervi, omniaq; ossa

arctissime alias compacta, numerari potuissent
 juxta Davidis: Psal. xxii. 15. *Sicut aqua effu-
 sus sum & dispersa sunt omnia ossa mea, &
 expressius, separaverant se omnia ossa mea*
Paradisi enim, quod est in fontibus, significat
Disfraxit, in partes disseccavit, hinc phrasin
 Germanorum, *Zeh bin ganz Bergliedert, vel etiam*
von glied zu glied gezogen/ cui interpretationi
Vulgatus favet; numerarem omnia ossa mea
 §. 62.

Pedes igitur *Servatoris*, ad motis sine dubio
 funibus, ad foramina clavorum usq; extensos,
 vulneribus acerbissimis infestantur. Et hæc
 pedum suorum vulnera, post resurrectionem
 suam, discipulis suis metu percussis, ad facien-
 dam ipsis fidem, se vere resurrexisse, ostendit.
 Luc. xx: v. 39. De his *Auctor sermonis de pas-
 sione Christi*, qui apud S. Cyprianum habe-
 tur, *Clavis ait sacros pedes terebrantibus, fos-
 sisq; manibus, de vulnerum anxietate non lo-
 queris; de spicis sacrum caput pungentibus*
*non quereris; Sed sat agis ut innotescat pe-
 steris, quare derelictus à Deo videaris, expositus*
contumelijs & Judæorum ludibrijs. Quidam
 ex Doctoribus pontificijs, tradunt clavos hos
 xxxvi. ictibus in pedes Christi, à Militibus ad-
 actos esse.

§. 63.

Hactenus de sede quatuor vulnerum *majo-
 rum*, de *quinti* jam restat ut pauca addatur, de
 vul-

vulneris nimirum *lateralis* Christi. hujus accuratam satis descriptionem apud Johannem cap. XIX. 34. deprehendimus. & Cyprianus fol. 320. vocat hoc: *sigillum plagæ lateralis*. *πλευρῆ* vero quo vocabulo Evangelista ipse utitur, vocatur *Anatomicis: & latus & tunica costalis: intrinsecus thoracis cavitatem succingens, & costis omnibus membranas instar peritonæi impertiens*. Apostolum tamen hic nihil minus quam de posteriori hac acceptione sollicitum fuisse existimamus; Sed ipsum *latus*, hac voce indigitare voluisse. *Laterum* nomine in Anatomia ex ventunt regiones, quæ a hypocondrijs ad claviculas usque pertinent, & inter alia costis & musculis intercostalibus constituuntur. Nos tamen curiositate ista Anatomica relicta; non tunicam sed *latus ipsum*, Vulneris hujus dicimus subjectum. vid: Thomam Bartholinum *de aperto latere Christi*. cap. I.

§. 64.

Sed in eo adhuc dissident Theologi, *dextrum ne an sinistrum? an vero utrumq; latus Christi hoc tetigisset vulnus?* Hæc controversia, quoad posterius membrum quæstionis, ipso Evangelista arbitro dirimi potest. Ille enim nec plurali, nec duali hic utitur numero, quia alias Græcis vulgaris est, cum de rebus, quas vel ars vel natura geminavit, sermo sit; sed *singulariter* sacer Historicus Jo-

hannes hic loquitur, & *πλευρὰν* vocat sedem hujus vulneris, Cap. xx: 20, 27. Excusandi forte tamen sunt Patres, qui pluralem hic inferunt numerum, cum illi rei amplificandæ gratia sæpe id faciant, & ille mos S. Scripturæ nec adeo peregrinus est. vid. Jud. xii. 7. Jon. i. 5. Matth. xxvii. 44. Cum itaque S. Patres non certo sciverint, utrum illud fuisset latus, pluraliter locuti sunt. Utrumq; tamen ex veteribus suos agnoscit defensores.

§. 65.

Pro *dextro* pugnat, versio *Arabica*, disertis innuens verbis *dextrum hoc fuisse latus*, ut observant Kirstenius, Johannes Hottingerus & Johannes Riolanus. Similiter sonat versio *Ethiopica*, idem comprobât D. *Augustinus* serm. vii. in Psal. xci. & *Bonaventura* in vita S. Francisci, alijq; plurimi. Et huic assertioni fundamentum, volunt nonnulli esse sypum descriptum Ezech. xlvii. i. *De aqua promanante ad latus Templi dextrum, prope Altare.* Hæc papa Innocentius III. confirmaturus, sancivit: ut Calix cum vino benedicto in altaris dextro latere collocaretur.

§. 66.

Non tamen pauciores sunt, qui ab *altera* stant *parte*, inter quos multi ex veteribus reperiuntur, ut bene observavit, Doctor *Gerhardus* Harm. Evangel. cap. cciv. Et Gerh. Joh. Vossius Lib: ii. Harm. animadvertit, non deesse

se eos qui typū Adami huc referant: quemadmodum uxor Adami e costa, desumpta ē *latere sinistro* ejus, creata fuit, ita ē *latere sinistro* secundi illius Adami, oportuit fluere aquam & sanguinem, quibus Ecclesia formetur & crearetur. Jam aliorum testimonijs hujus rei patrociniū spectantibus, brevitatis ergo hic super sedemus, suspendentes hac in controversia iudicium, quoniam Scriptura ea in decidenda, nullum nobis præbet subsidium.

§ 67.

Nec minus disceptatur: Num *solum latere*? num vero alia quoq; viscera hoc infestavit vulnus? Observarunt hæc Anatomici Hippocratem: *cor hominis, levi tunica, in qua paucus iuisset humor, circumsectum esse, & veluti in vesica versari, existimasse.* Quod cordis velamen. jam *περικαρδιας* venit nomine. Et multi nostratum inter quos: Brentius & Gerhardus, volunt ejus velaminis rupturam, causam tanti fluminis aquæ, quæ ex trans fossa latere scaturivit Joh. xix. 34.

§ 68.

Aquam quidem & sanguinem inde emanasse, vidit & testatum reliquit Evangelista; non tamen *conjunctim & mixtim*, ut nonnulli voluerunt; sed *seorsim & separatim*; ut B. Lutherus, B. Gerhardus, Meisnerus & pluri alij censent. Qui existimant distinctis canalibus utrumque effluxisse liquorem; sed u-

ter prius emanarit, rursum non conveniunt interpretes. S. Ambrosius, Hieronymus, Rufinus, & Joh. Damascenus, arbitrantur aquam præcessisse. nos tamen satius ducimus, retinere ordinem, quem Evangelista *αὐτόωτης* ostēdit. ille vero primo sanguinem, deinde aquam exiisse monstrat. Huc etiam pertinent versus Poetæ: inter Christianos antiquissimi, Sedulij Lib v. *Carmin.*

----- *jam Spiritus artus*
Liquent ad tempus, patulo jam frigida digno,
Viscera pendebant, & adhuc furor arma mini-
strans;
Cuspide perfossam violat latus, ecce parenti,
Vulnere pulpureus cruor & simul unda cu-
currit.

§. 69.

Præterea sunt nonnulli, ex ijs qui reformati salutari volunt, qui suum Johannem Calvinum secuti, nihil hic miraculi subfuisse putant. Ille enim *comment in Cap. xix. Job.* hunc in modum loquitur: *Hallucinati sunt quidam, miraculum hic fingentes; Naturale enim est dum coagulatur sanguis, amisso rubore fieri aque similem.* Huic assentiuntur sectarij: Beza, Voëtius, Goclenius, Marloratus, Vossius, & ab his seductus Kippingius. Nos autem, cum naturales hic insufficientes deprehēdamus causas, credimus quippe non aliquot saltem guttulas, sanguinis & aquæ, hinc distillasse,

lasse, sed tantam copiam utriusque, ut distincte a se invicem videri & dignosci potuerint: & cum omnes Anatomicorum stupeant demonstrationes, miraculum quoddam, Johannem hic proponere arbitramur. Quam sententiam comprobant Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, S. Chrysostomus, Theophylactus, S. Ambrosius, Damascenus, Leo magnus & multi Pontificiorum. Eadem quoq; est mens B. Lyseri, Himmeli, Gerhardi, Danhaveri, aliorumq; orthodoxorum.

§. 70.

In memoriam hujus miraculi, vetus Ecclesia, paululum aque admiscuit vino, in administratione Sacre eucharistiæ, ut testatur multi Patrum. Mos ille nondum exolevit in Ecclesijs orientalibus, ubi infundunt in calicem aliquantum aquæ ferventis, ut scribit Theodorus Balsamon *in responsione xviii. ad quaesita Marci Patriarchæ Alexandrini.*

§. 71.

Sed restat adhuc commentum Papisticæ mentis, quo tradunt Beatam Virginem *Mariam*, sanguinem ex latere Jesu profluentem, omni cum reverentia excepisse, & eundem adhuc *Romæ, Mantuæ, Venetijs, & Brugis Flandrorum*, ostendunt, & reservatum dicunt; quod omne merum olet figmentum; Maria quippe nec vascula tali instructa potuit esse, quo sanguinem exciperet. nec ille, tamdiu ser-

vatus esset, quamvis Pontificij omnes ingenij ad id intendissent vires, nec unicum jota ea de re, in tota Sacra historia legitur.

§. 71.

Jam ad contemplationem *instrumentorum*, quibus vulnera hæc, de quibus hæcenus actū est, corpori Redemptoris nostri dulcissimi, a Militibus Romanis impressa sunt, transitum facimus. Circa quam, illud imprimis occurrit, quod Evangelista Johannes, quatuor priora illa vulnera vocet *vestigia clavorum*. cap. xx. 25. facessat igitur sententia eorum, qui funibus crucifixionem hanc absolutam putant, adeoq; *Salvatorem* uon crucifixū; sed alligatum cruci. Inter patronos hujus sententiæ Vigerius in *chorde vii*. familiam ducit. Inficias nos ire non possumus eam quoq; Romanis fuisse consuetudinem, ut funibus cruciarios crucibus suspenderent, cujus exemplum subministrat nobis Abdias Babilonius *Lib. iii. Histor. Apost.* quod fortassis hic etiam de suspensione latronum, qui cum Christo crucifixi erant, non pauci adfirmarint, at de Martyrio *Salvatoris* non idem, cum Historia Biblica expresse contrariū doceat: præter ea enim quod ipsa *vulnera* vocentur *vestigia clavorum*, Evangelistæ utuntur verbo *στυρῶσαι* quod idem significat ac *στυρῶν πρὸς ἡλῶσαι*; illud vero vi vocis inculcat *crucifixionem* cum respectu *clavorum*. Quod & Ulpianus ad Demosthen. contr. Mid observavit. So-

§. 73.

Solennior quoq; mos erat apud Romanos, clavis crucifigi, quam funibus, teste, inter ceteros Seneca cap. xxi. *de vita beata*. Ideoque Apostoli post resurrectionem in manibus pedibusq; *Salvatoris*, viderunt vestigia clavorum Joh. xx. 25. Hanc sententiam retinent tam patres Ecclesie primitivæ, quam omnes fere orthodoxi, & ex recentioribus Justus Lipsius, Vossius &c.

Idemq; Poeta quidam.

*Cernere manus clavis fixas, tractosq; lacertos
Atq; ingens lateri vulnus - - -*

§. 74.

Cæterum *de numero clavorum* rursus queritur? Alijs ternarium, alijs vero quaternarium defendentibus. *Ternarium* defendunt Lipsius *Lib. iii. de cruce cap. ix.* Joh. Hulfemannus in *Pentagono Christi pag. 1287.* & Jesuita Petrus Besseus; autoritatibus maximè suffulti Patrum: Nazianzeni & Nonni Pano- politani. Alij qui pro quaternario pugnant, duos manibus & duos itidem pedibus salvatoris attribuunt clavos. Qui modus etiam usitatior erat Romanis crucifigendi, & notandum apud Plautum in *Muscellaria Act. 2. scena 1.* *Dabo ego ei talentum primus qui crucem excurrerit; sed ea lege ut adfigatur bis pedes; bis brachia.* Josephus Scaliger quoque *animadversionibus ad Euseb.* Statuit præ-

via antiquitate Romana: *binos crucifixorum pedes binis clavibus fuisse adfixos.* Hanc confirmant sententiam: Hieremias Drexelius: Voffius; Calixtus, Illustrissimus Dux Augustus in *Harm. Eccl. part II*, & si fides danda esset ijs, qui Helenam Constantini matrem, crucem Christi reperisse, memoriae prodiderunt; etiam pro quaternario numero faceret quod dicant: *eam una cum cruce quatuor invenisse clavos.*

S. 75.

Simon Metaphrastes, & Caesar Baronius, existimant Virginem Mariam clavos sepeliendi filij sui *cruce extractos, & in sinu collectos, magna cum cura adservasse.* Sunt &, qui dicunt in Judæa in usu fuisse, ut instrumenta quibus malefici necabantur, una cum ipsis in terram conderentur; sed **SERVATOREM** nihil minus quam ut maleficum a Josepho & Nicodemo terræ demandatum esse constat. Jactant etiam Pontificij de hinc clavibus, & ubivis locorum tanto numero eos ostentant, ut jam dudum ad struendum Palatium Pontifici sufficere potuissent.

S. 76.

Demum *instrumenti quo vulnus Laterale Christi, inflatum sit, cognitione* ordo requirit. Hoc facit Historicus: *λόγχην* appellat. circa cujus determinationem variant eruditi. Nonnulli *ξίφος gladium acuminatum,* quo milites

cominus pugnare solent, fuisse putant. Hujusmodi & Venatores olim usurparunt, & vocarunt *culeros venatoris*, Item *Venabula*. Sed *vulnus Salvatoris laterale*, hoc instrumento non erat inflictum; erat enim tantæ amplitudinis & profunditatis, ut manus immitti potuerit Joh. xx. 25. Aliud ergo erat instrumenti genus quo tantum imprimebatur vulnus, i. e. *basta* sive *lancea*, quibus Romani multum utebantur. De ijs Fridericus Hildebrandus in *compendio antiquitatum* pag. 137. dicit: *quod extenui & exasciato ligno composita erant, longitudine tripedali, digitali crassitie, ferro molli duodecim digitorum*. Mucrones horum duplices fuisse observavit Polybius, vel oblongos vel latos. hujus, non vero istius modi, hanc fuisse commodius statuitur.

§. 77.

Locum ubi majora hæc vulnera, Salvator perpeffus sit, quod attinet, is erat extra urbem Hierosolimam, & vocatur ab Evangelistis, γολγοθᾶ vel ut quidam malunt γολγαθᾶ. Persæ & Hebræi scribunt Golgotha, Syrus vero Galgulta, & sic varie dissentiant circa scripturam hujus vocis. Sed de radice svavis est harmonia, quam volunt esse Hebræum Galal, circumvoluit; ac completa jam vox Golgotha, non amplius agnoscitur pure Hebræa, sed Syro-Caldaica. hanc Evangelistæ ipsi interpretantur, Math. xxvi. 32. Marc. xv. 22. & Joh. xix. 17. 18. περ τὴν κρᾶ-

vix locū *clavariae* Luc. vero xxiii. 33. *κεφάλιον*
id est *calvariam*, vocat.

§. 78.

Cur vero iste locus ita sit vocatus, varias
adferre solent rationes, quidam protoplastum
Adamum hic sepultum vendicant, quo carmi-
na illa incerti authoris apud Tertullianum
pertinent:

*Golgartha locus est capitis, calvaria dictus,
Hic hominem primum suscepim⁹ esse sepultum.
Hic patitur Christus, pro sanguine terra mades-
cit.*

*Pulsis Adæ ut possit veteris cū sanguine Christi
Commixtus stillantis Adæ virtute lavari.*

At illud omni caret fundamento, quod & B.
Hieronymus observavit: Judæi enim, Ada-
mum stirpem generis humani, illo loco si se-
pultum scivissent, nihil minus quam facino-
rosorum supplicijs destinassent, quin potius
ut sanctissimum coluissent.

§. 79.

Quidam existimant, eum esse illum quem
Deus oblationi Isaaci designavit Gen. xxiii.
Sed nec id probabile est, quandoquidem in illo
templum exstructum erat. 2. Par. iii. 1. Alij
hunc locum ita dictum putant a cranijs eo-
rum, de quibus in hoc monte sumptum erat
supplicium, & crania ibi vel terra obruta e-
rant vel conspiciebantur. B. Gerhardus vero,
Hugo Grotius. Daniel Heinsius & plures cum
illis

illis alit. simpliciter, quia facinorosis hic solebant capita detruncari, ita dictum existimant. Quæ sententia non inconvenientis præbet speciem.

§. 80.

Veneris statua deinde in hoc monte erecta perhibetur, in contemptum & ignominiam vulnerati & occisi illic Jesu. S. Hieronymus Epist. xiv. ad Paulinum de institutione Monachi refert: *Ab Adriani temporibus ad imperium Constantini, illam statuam Marmoream inviolatam existisse; postea vero excisa ea, S. Helenam Templum Crucis in ejus locum excitasse.*

§. 81.

Demum nec temporis ratio negligenda, quando aut quo tempore hæc peracta sint. Juxta calculum selectiorum Chronologorum inciderunt hæc in annū creati Mundi MMM. xxxiv, & hic, per Hebdomadas Danielis cap. ix. 24. prædictus erat. In annum vero carnis Christi, si hypotheses scripturæ serventur, xxxiv.

§. 82.

De Mense quoque dissentiunt interpretes, Alij Martium, alii vero Aprilem, illum fuisse contendentes; nos vero omissis varijs istis sententijs, dicimus mensem illum fuisse primum Judæorum, Abib vocatum, cujus die decimo quarto Agnus Paschalis manducandus erat, Exod. xii. Nunc vero alter jam illuxit dies

dies, qui proxime præcedebat Sabbatum Judæorum magnum. i. e. dies Veneris, & respondebat ut nonnulli, in hoc solliciti maxime, calculum ponunt, eo anno, *diei tertio nostri Aprilis*. Ab Evangelistis vocatur: *παρασκευή* Marc. xv. 42. Joh. xix. 31. item *παρασκευή ἡ πάσχαλος* a Johanne. *Προάββατον* vero a Marco cap. xv. 42.

§. 83.

Tandem ipsius *horæ* ratio habenda, præsertim cum discrepantia quædam inter Evangelistas appareat, Marcus enim *tertiam* dicit fuisse *horam* cum crucifigeretur Jesus, Johannes vero *sextam*. Hanc ergo in conciliando diversitatem, alij aliam insistant viam, nos vero duas tantummodo in medium proferemus sententias, *una* est Megalandri nostri Lutheri, qui in glossa in Cap. xv. *Margini adscripta*: verbum *ἰσταύωσαν* crucifixerunt, non de actuali crucifixione; sed mandato, consilio & dispositione crucifixionis, sumendum esse existimat. *Alter*a sententia est eorum qui duplices Judæis tribuunt horas, *Majores*, quæ numero quatuor: *Prima, Tertia, Sexta & Nona*: & *Minores*, quæ duodecim in die, & tres harum, unam conficiunt *horam majorem*. *Prima* igitur Majorum extendit se ad tertiam minorem, & Tertia majorum ad sextam minorum inclusive. adeoque tertia hora ex majoribus continet

iv. v. & vi. Ex minoribus, & eo jure quoque
conveniunt tertia Major & sexta minor, ita
ut inter Marcum de Majoribus, & Iohannem
de Minoribus horis loquentem, nullus sit dis-
sensus. Hanc forent multi Pontificiorum,
nec pauci Calvinianorum, & de nostratibus
Vinaticis, B. Gerhardus. Waltherus. &c.

§. 84.

Posterior hæc sententia, cujus in Sacra scri-
ptura vel scriptis Rabbinorum, fundamentum
aliquod investigandum, omnium expeditissi-
ma est. De noctu quidem res clara est; ea quip-
pe in ejusmodi quadrantes divisa erat. Quas
Vigilias vocarunt, quarum *prima* Thren. ii.
29. *Secunda* Luc. xii. 3. *Tercia* ibid. *Quar-
ta* Math. xiv. 25. mentio injicitur. Vide &
Arnobium in *Psalms*. Vigiliarum earum u-
naquæq; tres, ut testantur monumenta Rab-
binorum, continebat horas.

§. 85.

Hæc nos prælibatis concludimus SALVA-
TOREM nostrum, ante *exactam horam sex-
tam, vulnera in manibus pedibusque suis re-
portasse*; *Sexta* autem Judæorum hora re-
spondet nostræ *duodecime meridiana*.

§. 86.

Laterale tamen vulnus quod concernit,
illud postremo Sanctissimi carni Salvatoris
impactum est. Et quod contra *Alphonsum Sala-
meronem & Iohannem Toletum* in Not. xx.
ad

ad cap. Joh. xix. dictum volumus: postquam *Redemptor mundi* diem iam in cruce obisset Joh. xix. 33. quod contigit ix. hora. Marc. xv. 34. 37. quæ *III.* nostræ respondet pomeridianæ. Ergo post horam *III.* pomeridianam, antequam Josephus ad sepulturâ impetrasset *JESUM*, Joh. xix. 34. petulantissimus ille miles latus ejus hasta transfodit. Ipsa autem sepultura, contigit *γενομένης ὀψίας* Math. xxvii. 57. Marc. xv. 42. i. e. cum *Sol inclinaret ad occasum.*

§. 87.

Jam nec illi defunt qui vulneri huic laterali *SALVATORIS*, vita perfuncti inflicto, omnem virtutem merendi denegant, ut præter impium illum Socinû, Tostatus Pontificius. Quod nec displicuit Thomæ Bartholino, his præcipue rationibus: quod post mortem sit datum illud vulnus, & quod *SALVATOR* ipse in vivis adhuc *omnia* jam dixerit esse consummata. Joh. xix. 30. Sed breviter ad utramque: Vulnera Christi merendi aliquam habuisse virtutem ex unione essentiali inter corpus & animam negamus. Sed omnem virtutem fuisse ex unione personali, quæ in ipsa morte firma & indissolubilis permansit, docemus nos, prævia luce verbi Divini. Altera ratio *Tostati* nihilo firmior est; Quod enim *Salvator* antequam expiraret in cruce, pronunciavit *omnia* jam consummata esse, non simpliciter, sed restrictive hoc

hoc capiendum est : consummata esse quæ
ante mortem a Christo implenda erant

§. 88.

Virtus igitur sua, *vulneribus* REDEMP-
TORIS nostri dulcissimi deneganda non est.
Quod crimen Pontificii effugere non pos-
sunt, qui vulnera cordis Beatæ Virginis, ut &
vulnera, S. Francisci ejusdem virtutis esse
somniaut; cum tamen vulnera Christi sint
inæstimabilia & plane incomparabilia,
ideo Bernhardus: *Christus paradisus est, ex
quo quinque salutare promanant fontes, dum
clavis transfiguntur manus, lancea trans-
verberatur latus, & pedes fodiuntur ferro, qui-
bus omnis anima fidelis irrigatur, ut crescat
aliquando in cælestem Paradisum plantanda.*

§ 89.

Typum horum Christi vulnerum S. Au-
gustinus quærit, in *aperto latere Adami*, unde
costa detracta cum Eva formaretur. quod
potius pia allegoria appellanda, quam typus.
Alij *percussam a Mose rupem*, in typorum
vulnerum Christi numerum recensere solent,
alij *velum inter Sanctum Sanctorum* interje-
ctum, Exod. xxvi. 3. alij *fenestram in Templo
Salomonis*, 1. Reg. vi. 31. alij *quinque lapides
Davidis*, 1. Sam. xvii. Sed hæc *allego-
riarum* potius, quam *typorum* metentur appella-
tionem.

Quare vero Salvator post gloriosam suam resurrectionem, vulnera in corpore suo conspici voluit, piæ sunt rationes, quas dederunt Patres Ecclesiæ. Inter plures prima est: ut veritatē sui corporis & resurrectionis discipulis suis ostenderet. vid. S. August. *Enarrat.* in Psal. LXXXIIX. Altera est ut immortalem memoriam vulnerum Christi nobiscum conservaremus, & ea cum grata recordatione in mente nostra versarentur, ut eleganter Philippus Dietz *Cont. i. Dominic. in Albis.* Tertiam dant rationem, in signe fortitudinis indicium, quam in negotio adversus hostes suos infensissimos, adeo præclare ostendit, & monumentum victoriæ quam ab ijs reportavit. Unde venerabilis Beda in cap. xxiv. Luc. *Non aliquod imperfectionis aut impotentia signum fuit, Christum cum vulneribus resurgere; Sed perpetuum cujusdam triumphi & victoriarum, de hoste relatarum monumentum.*

Agnoscent nostræ Ecclesiæ in corpore Christi, vulnera post resurrectionem; in eadem tamen dissentiunt, an in statu, in quem jam erectus est, eadē retineat? vid. D. Gesnerū Lib. *De Persona Christi* cap. xv. Quæstio vero ea cum fidei non constituat fundamentum, sativo quoq;

quoq; charitatis vinculo & affirmari & negari potest. Majoris tamen solatij videtur adfirmativa, qua multi Patrum, Christum vulnera pro nobis intercedendo, ad restringendam iram Patris sui, ipsi ostendere dixerunt. Inde Bernhardus: *O! te felicem, O! Homo qui tam facilem ad Deum accessum habes, tam molles aditus, filius exhibet Patri latus & vulnera, quomodo poterit ibi esse repulsa, ubi tot concurrunt caritatis insignia.* Omnes igitur fideles quotiescunq; precibus serio vacant, toties Christi vulnera in conspectu Dei obferunt.

§. 92.

Si jam SALUS NOSTRA in eo statu, in quem nunc evecta est, hujusmodi retinet vulnera, non est dubium quin Iudex totius hujus universi venturus, eadem omnium oculis expositurus sit: conf. Zach. xii. 7. & Apoc. i. 7. Multi sunt Theologorum ejus sententia ut cap. Math. xxiv. 30. *Σημεῖον τῆς οὐρῆς τῆς ἀνθρώπου* signum filij hominis, significare arbitrantur: vulnera REDEMPTORIS Christi, quæ cum ipse venturus est ad universale illud judicium, toti mundo apparebunt, verum ut veritati propior dari potest sententia, ita nec nunc circa illum locum peculiariter laborare animus est.

§. 93.

Quemadmodum igitur veneranda hæc

vulnera impijs magno erunt terrori, ita fidelibus cum SALVATOREM JESUM in gloria sua videbunt, dulcissimo & ineffabili futura sunt solatio: Hinc B. Gerhardus: *Rutilantia vulnera Christi, sunt Biblia practica, de certitudine salutis nostrae testificantia.* Quanti hæc sancti Patres fecerant, quanti omnes pij & devoti omnium temporum homines æstimaverant: scripta tam recentiorum quam veterum pijs meditationibus plena, luculentum sunt testimonio. Inde Abbas Berthardus:

*Hora mortis meus flatus
Intret Jesu tuum latus:
Hinc expirans in te vadat
Ne trux leo hunc invadat,
Sed apud Te maneat.*

Et alibi in pio & devoto suspirio:
*Cum me mori est necesse
Noli mihi tunc desse
In tremenda mortis hora
Veni Jesu absq; mora:
O Salvator amplectende
Temet ipsum mi ostende
In cruce salutifera.*

S. D. G.